

Svatojiřské officium (12./13. st.)

Tropus *Visitatio sepulchri* (*Návštěva u hrobu*) byl součástí velikonočních her – nejstaršího duchovního dramatu středověku. Klasickým obrazem je rozmluva tří Marií a anděla u Kristova prázdného hrobu podle vyprávění v evangeliích. Jedním z nich je *Svatojiřské officium*, hra provozovaná řeholnicemi u sv. Jiří na Pražském Hradě od přelomu 12. a 13. století.

Visitatio sepulchri

Responsorium: Dum transisset sabbatum, Maria Magdalena et Maria Iacobi et Salome emerunt aromata, ut venientes ungerent Ihesum, alleluia. Et valde mane una sabbatorum, veniunt ad monumentum, orto iam sole, ut venientes ungerent Ihesum, alleluia. (Mk 16,1 – 2)

Ordo ad visitandum sepulchrum.

Maria Magdalena et alia Maria ferebant diliculo aromata, dominum querentes in monumento.

Sorores: Quis revolvit nobis ab ostio lapidem, quem tegere sanctum cernimus sepulchrum?

Econtra angeli: Quem queritis, o tremule mulieres, in hoc tumulto plorantes?

Sorores: Ihesum Nazarenum crucifixum querimus.

Sedentes ad sepulchrum (angeli): Non est hic, quem queritis, sed cito euntes nunciate discipulis eius et Petro, quia surrexit Ihesus.

Item sedentes: Venite et videte locum, ubi positus erat Dominus, aevia, aevia.

Deinde sorores venientes ad chorum cantent: Ad monumentum venimus gementes, angelum domini sedentem vidimus et dicentem, quia surrexit Ihesus.

Chorus: Aevia, noli flere, Maria.

Accedente una sorore chorus cantet: „Maria stabat ad monumentum foris, plorans. Dum ergo fleret, inclinavit se et prospexit in monumentum.“ (Ioh 20,11)

Predicta soror inspecto sepulchro convertat se ad clerum et cantet: „Tulerunt dominum meum et nescio, ubi posuerunt eum.“ (Ioh 20,13)

Soror: „Domine, si tu sustulisti eum, dicito michi ubi posuisti eum, et ego eum tollam“ (Ioh 20,16)

Chorus: „Maria“ (Ioh 20,16)

Et illa inclinando: „Rabboni!“ (Ioh 20,16)

At ille paululum retro cedens: „Noli me tangere, Maria, vade autem ad fratres meos et dic eis: Ascendo ad patrem meum et patrem vestrum.“ (Ioh 20,17)

Chorus: „Venit Maria annuncians discipulis.“ (Ioh 20,18)

Soror: „Quia vidi dominum et hec dixit michi.“ (Ioh 20,18)

Chorus: Aevia. Resurrexit dominus.

Post hec chorus: „Currebant duo simul, et ille alius discipulus praecucurrit Petro, et venit primus ad monumentum.“ (Ioh 20,4)...

Deinde duo fratres accipientes lintheamina vadunt ad gradum et cantent: Cernitis, o socii, ecce lintheamina et sudarium et corpus non est in sepulchro inventum.

Chorus: Surrexit enim.

Qua ab ipsis percantata imponitur ymnus: Te deum laudamus.